

sione, a consensu, a determinatione nostræ voluntatis, sed causando illam, et donando, quia efficaci potestate convertit illud cor; si autem convertit, non supponit conversionem, sed facit; facit autem efficacissima potestate: ergo potestas illa ex se est efficax, non ex denominatione extrinseca nostri consensus: imo si Deus expectat nostrum consensum, et determinationem, de se autem indifferentem offert concursum: ergo etiam expectat ablationem dissensus: idem est enim expectare consensum atque expectare negationem sui oppositi, qui est dissensus, sed per dissensum cor est durum, et resistens conversioni, et consensui: ergo Deus expectat ablationem duritiæ a corde, non eam effective aufert, si quidem offert concursum indifferentem ad auferendam duritiam, vel non auferendam, ad dissensum vel consensum; nec sufficit proponere objectum, et mediante objecto inclinare voluntatem, quia objectum per se non sufficit tollere duritiam, et ponere consensum, nisi alliciendo, et finalizando, non causando effective, sed hoc totum potest rejicere voluntas, et ad aliud divertere: sola ergo ipsa tollit duritiam suam, quia tollit dissensum suum. Dicit autem Scriptura: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum*, Ezech. xi et Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, cap. viii id explicat de gratia, seu divino concursu, et causalitate: « Hæc inquit, gratia quæ occulte humanis cordibus divinæ largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur, imo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur. » Si ideo tribuitur, ut cordis duritia auferatur: ergo illa gratia non supponit cordis duritiam ablatam, sed aufert, et causat ablationem. Quod si causat: ergo ex se efficax est, non denominatione ex-

trinseca, per denominationem enim extrinsecam non causat, nec solum proponendo objectum tollit duritiam, quia objectum se solo non sufficit, cum respuat illud sæpe voluntas. Ut ergo non respuat objectum, aliquid præter objectum, et ejus efficientiam requiritur. Vel ergo efficientia voluntatis, vel Dei agentis voluntatem. Primum non sufficit, quia ad hoc ut voluntas efficiat, illa Dei motio, et influentia requiritur: ergo secundum. Et obiter adverto hanc gratiam, seu divinum concursum appellare Augustinum occultum, ut ex hoc elidas aliquorum sensum qui ad moralem concursum confugiunt in hac parte, quia nihil de hoc sentimus, et experimur. Si occultissime Deus sic agit in corde, non est necesse sentiri, sed intelligi.

XIII. Sic ergo sit argumentum. Voluntas cui non potest resisti, est efficax, et infallibilis per locum intrinsecum, et antecedenter ad prævisionem nostri consensus: ergo voluntas divina etiam ut immutat, et operatur, seu providet nostras voluntates, est ex sua natura, et ab intrinseco efficax. Minor probatur, quia si voluntas divina est talis quod ei potest resisti secundum se, et per locum intrinsecum, solum autem non potest resisti ex prævisione, et suppositione consensus: ergo non considerata divina voluntate secundum se, et ante præscientiam nostri consensus, possibilis est aliqua resistantia in voluntatem divinam, non orta nec derivata a Deo, sed a sola creatura sine influxu Dei. Patet consequentia: nam si esset cum influxu Dei, jam esset cum voluntate Dei, quia influxus ille libere oriretur ex Deo: ergo a voluntate ejus: ergo esset contra voluntatem ejus, nec resistens ei. Si autem esset illa resistantia sine influxu Dei, et ipso non cooperante: ergo aliquid reale, et creatum est possibile, quod sit

independens in esse a Deo, et non sit causatum a Deo, scilicet illa resistantia, et quod invito Deo possit esse in mundo, quod esset horribilis impietas. Quod si antecedenter ad omnem prævisionem mei consensus est impossibilis resistantia aliqua ad voluntatem divinam in sensu composito, ergo antecedenter ad omnem prævisionem, et suppositionem mei consensus divina voluntas est infallibilis, et irresistibilis in eodem sensu composito: ergo et efficax quia si efficax non est, sed indifferens, resisti illi potest. Et sic impertinenter recurrit ad prævisionem mei consensus ut infallibilis, et efficax sit ex tali prævisione, si ex natura sua, et antecedenter ad talem suppositionem, et prævisionem est impossibilis essentialiter in sensu composito, et illa voluntate stante omnis resistantia ad divinam voluntatem. Et si ex eo non potest sibi resisti, quia tunc solum operatur quando prævidet nihil sibi resistere; sed voluntatem consistere quasi metuens in campum procedere, nisi quando nullus est hostis: ergo per se primo sibi ipsi non potest voluntas humana resistere, ex eo autem quod sibi non resistit, nec divinæ voluntati resistit, quia tunc solum operatur, quando præscit sibi non resistendum. Non sic autem dicit Scriptura, quod nulla voluntas sibi ipsi resistit, sed voluntati Dei nullus resistit.

XIV. Confirmatur totum hoc ex illa frequenti Scripturæ comparatione, qua comparat nos, et voluntates nostras ad Deum, sicut lutum ad singulum, vel fictorem, qui utitur a massa terræ ut vult, non quia tollit a nobis virtutem et libertatem operandi, sed quia dat illam, et motu suo illam versat, sicut figulus massam: et ita libera voluntas debet efformari, et præveniri a Deo in sui

efficacia motus, sicut lutum a figulo Jerem. xviii: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, dicit Dominus*: et sicut instrumentum ab artifice, non instrumentum efficaciam artificis determinare. Quo exemplo sæpe utitur D. Thomas explicando voluntatis dependentiam a Deo in efficacia, et cooperatione propria sua: in hac enim a Deo incipit moveri, et formari sicut instrumentum ab artifice. Videatur in contra gentil. cap. clxvii, ubi inquit: « Sub Deo, qui est primus intellectus, et volens ordinantur omnes intellectus et voluntates, sicut instrumenta sub principali agente: oportet ergo quod eorum operationes efficaciam non habeant respectu ultimæ perfectionis, quæ est adeptio beatitudinis, nisi per virtutem divinam: indiget ergo auxilio divino, etc. » Et cap. cxlviii: « Auxilium divinum sic intelligitur homini adhiberi ad bene agendum quod in nobis nostra opera operatur, sicut causa prima operatur operationes causarum secundarum, et agens principale operatur actionem instrumenti, unde dicitur Isai. xxvi: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: causa autem prima causat operationem causæ secundæ secundum modum ejus: ergo et Deus causat in nobis nostra opera secundum modum nostrum qui est ut voluntarie, et non coacte agamus. »

XV. Secundo, ex Concilio Tridentino formo argumentum pro ista intrinseca efficacia Dei causante effective ipsum motum voluntatis nostræ, non ab ea supponente efficaciam denominationem. Nam in sessione vi, cap. v, docet: « Exordium justificationis in adultis sumendum esse a præveniente gratia, hoc est a vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque

adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur.» Quibus verbis non negabunt oppositi auctores loqui Concilium de efficaci gratia Dei, cum maxime ex hoc loco conentur probare ex verbis subsequentibus, et statim citandis, posse nos gratiæ efficaci dissentire, et sic ab ejus efficacia antecedente, non præveniri. Aut si Concilium hic non loquitur de efficacia gratiæ, nusquam contra hæreticos definit gratiam efficacem non tollere liberum arbitrium, et sic remanet suspensa illa determinatio in re tanti momenti. Convenimus ergo quod loquitur de efficaci gratia. Jam probandum est, quod loquitur de efficacia convenienti ei ab intrinseco, et antecederet ad consensum nostrum non ex ejus prævisione. Et hoc sic deduco: Nam Concilium dixit exordium justificationis sumi a gratia præveniente, et loquitur de gratia efficaci, sed noster consensus ut liber, et ut a nobis etiam conducit ad justificationem, quia sine consensu nostro non justificamur: (loquor de adultis) ergo exordium illius consensus, etiam ut liber, et ut a nobis a gratia præveniente sumitur; non autem a gratia indifferenti expectante ad suam determinationem, et efficaciam nostrum consensum: sic enim ab ipsa non sumeretur exordium in executione (de hac loquitur Concilium) quia gratia præveniens non potest exordium in executione dare, nisi efficax fuerit; dum enim indifferens est, nihil determinate exorditur, quia nihil determinate causat, dum determinata non est. Ergo si ipsa dat exordium etiam consensui libero, ut liber est, et ut ad justificationem requiritur, prior debet esse et antecedere ipsum consensum, etiam ut efficax est, non ab ipso consensu efficaciam desumere: sic

enim a consensu desumeretur exordium in exercitio, ante illum enim vocatio in statu indifferenti est; ergo non dat exordium in executione: præsertim quia exordium dare, est causam efficientem esse, quia efficiens, ut definiunt Philosophi, est unde incipit motus.

XVI. Dices: Gratiam quidem prævenientem dare exordium nostræ justificationi, antecedere consensum modo morali, scilicet per modum ipsius vocationis, non effectiva ipsius decreti antecedentia in ipsum consensum: nam hoc expresse dicit Concilium verbis relatis, dum inquit: « Exordium sumi a præveniente gratia, hoc est a vocatione qua vocantur a Deo, etc. » Vocatio autem pertinet ad intellectum, et ad propositionem objecti, et vocis Dei, quod totum morale est respectu consensus nostri, et ab illa morali causalitate sumit exordium justificationis.

Sed contra est, quia Concilium hanc vocantem gratiam non solum ponit esse excitantem, quæ pertinet ad illuminationem intellectus, sed etiam adjuvantem, quæ pertinet ad infirmitatem voluntatis: Spiritus enim adjuvat infirmitatem, utramque enim hanc gratiam ponit Concilium verbis supra citatis ibi: « Ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, etc. disponantur. » Ubi adjuvans distinguitur ab excitante, et constat quod excitatio fit per aliquem actum intellectus percipientis aliquod objectum: si ergo adjuvantem gratiam intelligeret illam, quæ solum medio intellectu prævenit, et disponit, idem esset excitans atque adjuvans et inutiliter repeteret adjuvantem, et excitantem, si idem sunt, idemque utroque vocabulo significatur; nisi dicatur utramque illam gratiam esse eandem in entitate, differre autem formalitate, et ministerio. Sed

hoc nobis sufficit, quia quidquid sit de entitate, pro nunc non agimus nisi de effectibus quos facit illa gratia, tum illuminando intellectum per excitationem, tum adjuvando infirmitatem voluntatis per Spiritum, et virtutem. Non enim sufficit dicere quod hoc adjuvare solum est per objecti propositionem, et illuminationem: sic enim non est aliud, quam ipsum excitare, nec est aliud quam doctrina vellet, vel revelatio aliqua, totum hoc enim pertinet ad illuminationem, seu manifestationem objecti per intellectum. Hunc autem modum gratiæ adjuvantis etiam Pelagius admisit, ut constat ex Augustino libro de gratia Christi, c. vii, et c. x, ut sæpe a nobis allatum est. « Adjuvat nos Deus, inquit, per doctrinam, et revelationem, dum cordis nostri oculus aperit, dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. » Ubi per ly adjuvat, satis significabant se loqui de adjuvante gratia, et hanc etiam agnoscebat stupentem suscitare voluntatem in eodem capite decimo Absit autem ut Concilium nomine adjuvantis gratiæ condistinguendo illam contra excitantem, intelligat id quod docebat Augustinus nempe illam gratiam adjuvantem, non esse quæ operatur in nobis velle sola suasionem, revelationem, illuminationem, manifestationem, et propositionem objecti, sed subministrationem virtutis in voluntatem. Hæc est adjuvans gratia de qua loquitur Concilium. Redeamus nunc ad argumentum.

XVII. Insto ergo contra responsionem datam sic: In vocatione, quæ est gratia præveniens, unde sumit exordium justificatio, non solum includitur gratia excitans, et illuminans, sed etiam adjuvans: ergo non solum excitans, sed etiam adjuvans dat exordium justificationi. Patet consequentia, quia dicit

Concilium exordium sumi a præveniente gratia, quæ est vocatio, in qua vocatione includitur et excitans et adjuvans gratia: ergo etiam ut adjuvans dat exordium justificationi et sic adjuvans non est pure, et præcise cooperans, sed etiam antecedens, et dans exordium. Sed dicit Concilium quod: « Hoc fit ut per excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eadem libere assentiendo et cooperando disponantur: » ergo adjuvans gratia non ita indifferenter offertur a Deo quod expectet assensum liberum voluntatis pro una parte, et inde denominetur extrinsece efficax, sed ipsa disponit ad assensum ipsum liberum, quod sic disponit: ergo præcedit, et determinat. Determinat autem non solum excitando, et proponendo objectum, quia hoc pertinet ad excitantem gratiam: ergo influendo et movendo ipsam voluntatem: ergo ante assensum liberum est efficax ex se, et non solum indifferens, quia etsi excitans gratia, quæ proponit objectum, possit intelligi, quod etiam indifferenter proponendo disponit moraliter, et operatur sic ad consensum, ut ipsa voluntas acceptet, tamen adjuvans gratia ut distincta ab excitante non operatur per propositionem objecti, sed per influxum, et subministrationem virtutis. Si ergo indifferenter offertur, suspenditur ejus influentia et subministratio, quousque acceptet voluntas. Si autem suspenditur influentia ejus: ergo non disponit influxive, ut voluntas acceptet, et consentiat, si quidem ab ejus consensu dependet determinatio influentiae disponentis. Dicit autem Concilium quod disponit. Quod statim expressit Concilium in initio c. vi: « Disponuntur, inquit, ad ipsam iustitiam dum excitati et adjuti, fidem ex audiu concipientes libere

moventur. Pondera illud excitati et adjuti: non solum ad hoc ut disponantur præcedit excitans gratia, sed etiam adjuvans, et sic adjuti disponuntur et moventur libere; prius ergo adjuti, quam libere moti: ergo esse adjutum a gratia, est causa illius libere motionis in Deum, quæ libera motio est ipse consensus, seu determinatio ex parte nostra. Non ergo indifferenter datur hoc adiutorium, nec expectat a consensu nostro determinationem, sed eam causat, quia sic adjuti disponuntur, et moventur libere. Unde idem Concilium in canone tertio, resumens hanc doctrinam capite quinto, inquit: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, etc. » Ubi illud quod dixerat capite quinto, ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se libere assentiendo disponantur hic per effectus excitantis et adjuvantis gratiæ explicat dicendo liberum arbitrium motum et excitatum, ubi ly excitatum est effectus proprius gratiæ excitantis: ergo ly motum est effectus proprius gratiæ adjuvantis: gratia ergo adjuvans non solum est simultaneus influxus in effectum, sed antecedens in ipsum liberum arbitrium, quia reddit illud motum: dicit enim liberum arbitrium motum, et excitatum nihil cooperari, etc. Prius ergo est motum ab adjuvante gratia, quam cooperetur. Est autem motum motione influxiva, non solum propositiva objecti, id enim pertinet ad excitantem seu illuminantem gratiam: ergo si influit, determinata jam est, influentia enim indifferenter oblata non influit sub illo statu indifferenti, sed suspenditur.

XVIII. Denique, ex hoc intelliguntur alia verba Concilii in eodem capite quinto, quæ oppositi auctores

vehementer urgent contra nos, et si recte inspiciantur, sunt pro nostra sententia: dicit enim Concilium sicut: « Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit. » Quoloco Concilium jugulat hæresim Calvinii, et aliorum qui dicunt nostram libertatem tolli per auxilium gratiæ efficacis, quia movemur a Deo ut quoddam inanime, et mere passive se habens. Concilium autem ut formaliter, et directe isti errori se opponeret, locutus est de gratia præveniente eamque efficaci: de hac enim loquebantur hæretici, et ostendit gratiam efficacem esse talem, quæ relinquat hominem inanimum, et mere passive se habentem. Ad quod sumit fundamentum contrarium Calvinistarum, quia ipsi putant hominem non excitari a gratia, sed pure moveri, sicut equus a sessore. Concilium autem ponit hominem a gratia et excitari, et adjuvari, seu moveri, sed motu supponente excitationem, et moralem motionem quæ fit per propositionem intellectus, seu illuminationem. Et ita cum efficax gratia præveniens includat duo secundum Concilium, scilicet excitantem ex parte intellectus, ubi fit illuminatio; adjuvantem ex parte voluntatis, ubi est robur, et virtus subministrata per Spiritum, voluit Concilium probare quod voluntas non sit pure recipiens, et velut quoddam inanime, præsertim attendendo ad id quod tenet se ex parte excitantis, et illuminantis gratiæ, quia videlicet cor hominis recipiens illuminationem Spiritus sancti potest illam rejicere, id enim manifestant verba Concilii dicentis: « Ita ut tangente Deo cor ho-

minis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, qui illam et abjicere potest. » Ubi ly illam refert illuminationem, nec enim est aliud super quod cadat. Id ergo quod illuminationis, et motionis moralis est ineffici gratia, et ex parte excitationis se tenet, homo abjicere potest, quia quidquid moralis motionis est, ex parte illuminationis, et propositionis objecti se tenet, totum hoc potest rejicere voluntas, licet stante efficacia gratiæ, quæ etiam adjuvantem includit, non possit in sensu composito, et potentia consequenti, sed solum in diviso, et potentia antecedenti abjicere, ut postea in solutione argumentorum magis expendemus.

XIX. Cum ergo Calvinus, et hæretici in hoc maxime sensu procedant, quod gratia Dei efficax sit ex natura sua, et antecederet ad consensum nostrum, indeque inferant lædi libertatem nostram, cogique voluntatem ut Concilium errorem istum elideret, necesse erat vel negare illud antecedens, scilicet quod gratia Dei non sit efficax ex natura sua, et sic declarare falsam esse suppositionem eorum, et intelligentiam de efficacia gratiæ. Vel admitendo eorum suppositionem quod gratia erat ex natura sua efficax, negare consequentiam, scilicet quod talis efficacia destruat libertatem, et ut inanime instrumentum relinquat, eo quod mediante illuminatione, et excitatione, tangit Deus cor hominis, quam illuminationem potest abjicere homo, et stante illa, et juxta illam movetur ad consensum per adjuvantem gratiam: non enim poterat ille error destrui, nisi altero ex his modis, aut scilicet negando antecedens, aut consequentiam. Sed Concilium nusquam declaravit contra Calvinum, suppositionem illam et antecedens esse falsum, quod

gratia ex natura sua et antecederet ad consensum sit efficax, ut ex toto ejus contextu constat: ergo admisit illud antecedens, et convenit in illa suppositione, negavit autem consequentem, quod talis efficacia destrueret libertatem. Et hoc est quod nos dicimus, et sic supponit Concilium efficaciam intrinsecam voluntatis Dei.

XX. Ex tertio capite, scilicet ex orationibus Ecclesiæ deducitur theologicum argumentum, quod semper apud Augustinum invictum fuit, sicut etiam ex promissionibus Dei idem sanctus doctor argumentum deduxit ad probandum Deum facere quod promittit, et facere ea quæ per voluntatem nostram facienda sunt, quia ipse facit ut illa faciamus. Formatur ergo sic argumentum: Id quod postulamus a Deo, ex ejus gratia beneficioque procedit, sed oramus pro nostræ voluntatis consensu, mutatione, determinatione, etc. ergo etiam ille motus, et consensus a Dei gratia causatur, non supponitur aut expectatur. Consequentia patet, quia si non causeretur, sed supponeretur, non a Deo daretur, nihil enim dat quod non causet, si non daretur, frustra pro eo rogaretur: sed deberemus rogare Deum, ut quando præscit non consensuros det gratiam, non ut nos consentientes faciat quando rebelles sumus. Major autem est certa, quia, ut sæpe Augustinus dicit, oratio est clarissima gratiæ testificatio: nemo enim petit ab aliquo, nisi quod ab ipso dandum est, nec Deus dat aliquid quod non causet, atque adeo si dat consensum, causat illum, si causat antecedit, et antecederet efficaciam habet et determinationem, sine qua non potest causare, et multo minus causare consensum, si a consensu determinandus est Dei concursus. Minor constat ex pluribus Ecclesiæ orationibus, quibus